

RITUS ORDINATIONIS EPISCOPI PLURIBUS SIMUL CONFERENDÆ

65. Quæ supra in Prænotandis, nn. 15-27 exponuntur valent etiam de Ritu Ordinationis Episcopi pluribus simul conferendæ.

Hic speciatim indicatur:

- a) singulis electis assistant duo presbyteri;
- b) valde convenit, ut omnes Episcopi ordinantes necnon presbyteri electis assistentes cum Episcopo ordinante principali et cum electis Missam concelebrent. Si Ordinatio fit in Ecclesia propria aliquius electi, etiam aliqui ex eius presbyterio concelebrent;
- c) si Ordinatio fit intra fines propriæ diœcesis alicuius electi, Episcopus ordinans principalis Episcopum modo ordinatum invitare potest ut præsideat concelebrationi in liturgia eucharistica. Secus Episcopus ordinans principalis præsidet concelebrationi; Episcopi vero modo ordinati primum locum tenent inter ceteros concelebrantes;
- d) præter ea quæ ad Missæ stationalis celebrationem necessaria sunt, parentur:
 - Liber De Ordinatione;
 - libelli Precis Ordinationis pro Episcopis ordinantibus;
 - Evangelia singulis electis imponenda;
 - gremiale linteum;
 - sanctum chrisma;
 - ea quæ ad manuum lotionem necessaria sunt;
 - anulus, baculus pastoralis et mitra pro singulis electis et, si casus fert, pallium. Hæc insignia, pallio excepto, benedictione prævia non indigent, cum in ipso ritu Ordinationis tradantur.
- e) sedes parentur modo supra n. 29 indicato.

66. Episcopus ordinans principalis necnon Episcopi et presbyteri concelebrantes sacras vestes induunt quæ sibi respective ad Missæ celebrationem requiruntur.

Episcopus ordinans principalis convenienter sub casula induit dalmaticam.

Electi induunt omnia paramenta sacerdotalia necnon crucem pectoralem et dalmaticam.

Episcopi autem ordinantes qui forte non concelebrent, sumunt albam, crucem pectoralem, stolam et, pro opportunitate, pluviale et mitram. Presbyteri electis assistentes, si forte non concelebrent, induunt pluviale super albam.

Vestes sint coloris Missæ quæ celebratur, secus coloris albi, vel vestes festivæ seu nobiliores adhibeantur.

Ritus initiales et Liturgia verbi

67. Omnibus rite dispositis, ordinatur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Diaconum librum Evangeliorum, qui in Missa et Ordinatione adhibetur, deferentem et alios diaconos, si adsint, sequuntur presbyteri concelebrantes, deinde singuli electi medii inter presbyteros sibi assistentes, postea Episcopi ordinantes ac denique Episcopus ordinans principalis et paulisper retro eum duo diaconi ei assistentes. Cum ad altare pervenerint, facta debita reverentia, omnes accedunt ad loca sibi assignata. Curandum est tamen ut distinctio inter Episcopos et presbyteros manifeste appareat etiam dispositione locorum.

Interim canitur antiphona ad introitum cum suo psalmo vel alias cantus aptus.

68. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur more consueto usque ad Evangelium inclusive.

69. Si quis Episcopus in sua ecclesia cathedrali ordinatur, post salutationem populi unus e diaconis vel ex presbyteris concelebrantibus Litteras apostolicas Collegio consultorum, præsente cancellario Curiæ qui rem in acta referat, ostendit ac deinde ad ambonem legit, quas omnes sedentes auscultant et in fine acclamant, dicentes: Deo grátiás vel aliam acclamationem aptam.

In diœcesibus vero noviter erectis, clero ac populo in ecclesia cathedrali præsentibus earundem Litterarum communicatio fit, presbytero inter præsentes seniore acta referente.

70. Post lectionem Evangelii, diaconus librum Evangeliorum iterum super altare reverenter deponit, ubi remanet usquedum super caput unius Ordinati positum fuerit.

amunt
ale et
at, in-

oi, vel

m ad
Missa
dsint,
inter
nique
aconi
mnes
nctio
tione

alius

sque

post
oran-
lario
legit,
Deo

lesia
sby-

rum
aput

Ordinatio

71. Deinde incipit Ordinatio Episcoporum. Omnibus stantibus, cani potest hymnus *Veni, crátor Spíritus*, vel alius hymnus huic respondens, iuxta locorum consuetudines.

72. Deinde Episcopus ordinans principalis aliisque Episcopi ordinantes accedunt, si opus est, ad sedes pro Ordinatione paratas.

Præsentatio electorum

73. Singuli electi a presbyteris ipsi assistentibus adducuntur ante Episcopum ordinantem principalem, cui reverentiam faciunt.

74. Unus e presbyteris assistentibus alloquitur Episcopum ordinantem principalem his verbis:

Reverendissime Pater, póstulat Ecclésia N., ut presbýterum N. ad onus Episcopátus órdines.

Si vero agitur de Episcopo ordinando non residentiali:

Reverendissime Pater, póstulat sancta Mater Ecclésia católica, ut presbýterum N. ad onus Episcopátus órdines.

Sic fit pro unoquoque electorum. In fine Episcopus ordinans principalis interrogat, dicens:

Habétis mandátum Apostólicum?

Unus e presbyteris respondet:

Habémus.

Episcopus ordinans principalis:

Legátur.

Tunc legitur mandatum, omnibus sedentibus. Quo perfecto, omnes dicunt:

Deo grátias,

vel alio modo, iuxta Prænotanda generalia n. 11 statuto, electioni assentiunt.

Homilia

75. Deinde Episcopus ordinans principalis, omnibus sedentibus, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum quæ in liturgia verbi lectæ sunt, clerum ac populum necnon electos de munere Episcopi alloquitur. De tali munere autem loqui potest his vel similibus verbis, aptando tamen textum, si ordinantur Episcopi non residentiales:

Dilectissimi, sédulo atténdite, ad qualem in Ecclésia grandum fratres nostri sint provehéndi. Dóminus noster Iesus Christus, a Patre missus, ut genus humánum redímeret, ipse in mundum duódecim misit Apóstolos qui, Spíritus Sancti virtúte repléti, Evangélium prædicárent et omnes gentes in unum ovile congregántes, sanctificárent et gubernárent. Ut autem hoc munus usque ad finem sǽculi permanéret, Apóstoli sibi adiutóres elegérunt, quibus donum Spíritus Sancti a Christo accéptum per impositiónem mánuum tradidérunt, qua Ordinis sacraménti plenitúdo confértur. Sic a generatióne in generatióne principális tradítio per successiónem Episcopórum contínuam serváta est et opus Salvatóris ad nostra usque témpora persevérat et crescit.

In Epíscopo a presbýteris suis circúmdato adest in médio vestri ipse Dóminus noster Iesus Christus, Póntifex factus in ætérnū. Ipse enim in ministério Epíscopi Evangélium prædicáre et credéntibus mystéria fídei ministráre non dé-sinit. Ipse patérno Epíscopi múnere nova membra córpori suo addit et ággregat. Ipse Epíscopi sapiéntia et prudéntia vos in peregrinatióne terréna ad beatitúdinem perdúcit ætérnām.

Grato igitur lætóque ánimo fratres nostros excípite, quos nos, Epíscopi, per impositiónem mánuum in collégium nostrum cooptámus. Illos honoráte ut minístros Christi et dispensatóres mysteriorum Dei, quibus testificátio Evangélii veritátis concréditur atque ministrátiō Spíritus et iustítiae. Mementóte verbórum Christi dicéntis Apóstolis: « Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit ».

Vos autem, fratres caríssimi, elécti a Dómino, cogitáte vos ex homínibus esse assúmptos et pro homínibus constitútos in iis quæ sunt ad Deum. Episcopátus enim nomen est óperis, non honóris, et Epíscopum magis prodésse quam præsésse opórtet. Nam qui maior est, secúndum Magístri præcéptum, sit ut minor, et qui præcéssor est, sicut ministrátor. Prædicáte opportúne, importúne, increpáte in omni patiéntia et doctrína. In oratióne et sacrificíi oblatióne pro pópulo vobis commísso, de plenitúdine sanctitátis Christi multifór- mem grátiam abundánter studeáter impetráre.

In Ecclésia vobis crérita, mysteriorum Christi dispensatóres, moderatóres et custódes estóte fidéles. Elécti a Patre ad eius gubernándam famíliam, mémores estóte semper boni Pastórìs, qui oves suas cognóscit et quem oves cognóscunt, et qui ániam pónere pro óvibus suis non dubitávit.

Univérsos, quos Deus vobis commíttit, patérna atque fráterna dilígite caritáte, imprímis presbýteros et diáconos, vestros in ministério Christi consórtes, sed et páuperes et débiles, peregrínos et ádvenas. Hortámini fidéles ut in ópere apostólico vobíscum labórent, eósque libénter audíre ne renuátis. De illis autem, qui nondum uni Christi ovíli sunt aggregáti, curam habeátis indeféssam, tamquam vobis in Dómino commendáti. In Ecclésia cathólica, caritatis vínculo adunáta, numquam obliscámini vos collégio Episcopórum esse coniúntos, ita ut ómnium Ecclesiárum sollicitúdinem ferre non desinátis et Ecclésiis auxílio egéntibus libénter

subveniátis. Atténdite ígitur univérso gregi in quo Spíritus Sanctus vos ponit régere Dei Ecclésiam, in nómine Patris, cuius in Ecclésia imáginem repræsentátis, et in nómine Fílii eius Iesu Christi, cuius múnere Doctóris, Sacerdótis et Pa-stóris fungémini, et in nómine Spíritus Sancti, qui Ecclé-siam Christi vivíficat et infirmitátem nostram sua virtúte confírmat.

Promissio electorum

76. Post homiliam electi soli surgunt et stant ante Episcopum ordinantem principalem, qui illos omnes simul interrogat his verbis:

Antíqua sanctórum Patrum institútio præcipit, ut, qui Epíscopus ordinándus est, coram pópulo interrogétur de pro-pósito fídei servándæ et múnneris exsequéndi.

Vultis ergo, fratres caríssimi, munus nobis ab Apóstolis créditum et vobis per impositióнем mánuum nostrárum tra-déndum cum grátia Spíritus Sancti usque ad mortem explére?

Electi omnes simul respondent:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis Evangélium Christi fidéliter et indesinénter præ-dicáre?

Electi:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis depósitum fídei, secúndum traditiómem inde ab Apóstolis in Ecclésia semper et ubíque servátam, purum et íntegrum custodíre?

Electi:

Volo.

ur
ris

litt

pr
lúi

pr

dc

Episcopus ordinans principalis:

Vultis corpus Christi, Ecclésiam eius, ædificare et in eius unitáte cum Ordine Episcopórum, sub auctoritáte successoris beáti Petri Apóstoli, permanére?

Electi:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis beáti Petri Apóstoli successóri obœdiéntiam fidéliter exhibére?

Electi:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis plebem Dei sanctam, cum comministris vestris presbýteris et diáconis, ut pii patres, fovére et in viam salútis dirígere?

Electi:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis paupéribus et peregrínis omnibúsque indigéntibus propter nomen Dómini affábiles et misericórdes vos præbére?

Electi:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis oves errántes ut boni pastóres requírere et ovíli domínico aggregáre?

Electi:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis Deum omnipoténtem pro pópulo sancto indesinénter oráre et sine reprehensióne summi sacerdótii munus explére?

Electi:

Volo, Deo auxiliánte.

Episcopus ordinans principalis:

Qui cœpit in vobis opus bonum, Deus, ipse perficiat.

Supplicatio litanica

77. Deinde Episcopi mitram deponunt et omnes surgunt. Episcopus ordinans principalis stans, manibus iunctis, versus ad populum dicit invitatorium (pro cantu, cf. n. 41, mutato tamen numero plurali):

Orémus, dilectíssimi nobis,
ut his éléctis,
utilitáti Ecclésiæ próvidens,
benígnitas omnipoténtis Dei
grátiaé suæ tríbuat largítátem.

78. Tunc electi procumbunt et canuntur litaniæ, omnibus respondentibus; quod diebus dominicis necnon tempore paschali fit omnibus stantibus, ceteris autem diebus flexis genibus. Quo in casu diaconus admonet:

Flectámus génuá.

In litaniis addi possunt suis locis aliqua nomina Sanctorum, ex. gr. Patroni, Titularis ecclesiæ, Fundatoris, Patroni corum qui Ordinationem recipiunt, aut aliquæ invocationes magis aptæ singulis circumstantiis.

Sanctorum cognomina, inter parentheses posita, opportune omituntur, quando litaniæ latina lingua canuntur.

Tunc cantores incipiunt litanias, cf. supra n. 42; invocationes tamen super electos dicuntur numero plurali.

79. Litaniarum cantu expleto, Episcopus ordinans principalis stans, manibus extensis, dicit (pro cantu, cf. n. 43, mutato tamen numero plurali):

**Propitiáre, Dómine, supplicatióibus nostris,
et inclináto super hos fámulos tuos
cornu grátiæ sacerdotális,
benedictiónis tuæ in eos effúnde virtútem.
Per Christum Dóminum nostrum.**

Omnes:
Amen.

Diaconus, si casus fert, admonet:
Leváte.

Et omnes surgunt.

Impositio manuum et Prex Ordinationis

80. Electi surgunt, accedunt ad Episcopum ordinantem principalem stantem ante sedem cum mitra et coram eo genua flectunt.

81. Episcopus ordinans principalis imponit manus super caput uniuscuiusque electi, nihil dicens. Deinde omnes Episcopi, accedentes successive, electis manus imponunt, nihil dicentes.

Post autem impositionem manuum Episcopi circa Episcopum ordinantem principalem manent, usquedum Prex Ordinationis finiatur, ita tamen ut actio a fidelibus bene conspici queat.

82. Deinde Episcopus ordinans principalis accipit librum Evangeliorum ab uno diacono et imponit apertum super caput singulorum electorum; duo diaconi, a dexteris et sinistris uniuscuiusque electi stantes, tenent librum Evangeliorum super caput ipsius usquedum Prex Ordinationis finiatur.

83. Electis ante ipsum genuflexis, Episcopus ordinans principalis, dimissa mitra, habens apud se alios Episcopos ordinantes, pariter sine mitra, profert (pro cantu, cf. n. 47, mutato tamen numero plurali), extensis manibus, Precem Ordinationis:

**Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis,
qui in excélsis hábitas et humília réspicis,**

qui cognoscis ómnia ántequam nascántur,
 tu qui dedísti in Ecclésia tua normas
 per verbum grátiæ tuæ,
 qui prædestinásti ex princípio
 genus iustórum ab Abraham,
 qui constituísti príncipes et sacerdótes,
 et sanctuárium tuum sine ministério non dereliquísti,
 cui ab início mundi plácuit
 in his quos eligísti glorificári:

Sequens pars orationis ab omnibus Episcopis ordinantibus, manibus iunctis, profertur, submissa voce tamen, ut vox Episcopi ordinantis principalis clare audiatur:

Et nunc effúnde super hos eléctos
 eam virtútem, quæ a te est,
 Spíritum principálem,
 quem dedísti dilécto Fílio tuo Iesu Christo,
 quem ipse donávit sanctis Apóstolis,
 qui constituérunt Ecclésiam per síngula loca
 ut sanctuárium tuum,
 in glóriam et laudem indeficiéntem nóminis tui.

Prosequitur solus Episcopus ordinans principalis:

Da, córdium cógnitor Pater,
 his servis tuis,
 quos elegísti ad Episcopátum,
 ut pascant gregem sanctum tuum,
 et summu[m] sacerdótium tibi exhibeant
 sine reprehensióne,
 serviéntes tibi nocte et die,

ut incessanter vultum tuum propitium reddant
et offerant dona sanctae Ecclesiæ tuæ;
da ut virtute Spiritus summi sacerdotii
habeant potestatem dimittendi peccata
secundum mandatum tuum;
ut distribuant munera
secundum præceptum tuum
et solvant omne vinculum
secundum potestatem quam dedisti Apóstolis;
placéant tibi in mansuetudine et mundo corde,
offerentes tibi odorem suavitatis,
per Fílium tuum Iesum Christum,
per quem tibi gloria et potentia et honor,
cum Spíritu Sancto in sancta Ecclesia
et nunc et in sécula sæculorum.

Omnès:

Amen.

84. Finita Prece Ordinationis, diaconi resumunt librum Evangeliorum, quem tenebant supra caput uniuscuiusque Ordinati, et unus diaconorum librum tenet usquedum tradatur Ordinato. Omnes sedent. Episcopus ordinans principalis aliique Episcopi ordinantes sumunt mitram.

Unctio capitidis et traditio libri Evangeliorum atque insignium

85. Episcopus ordinans principalis assumit gremiale linteum, accipit vas cum sacro chrismate ab uno diacono et inungit caput uniuscuiusque Ordinati ante se genuflexi, dicens:

Deus, qui summi Christi sacerdotii partícipem te effecit,
ipse te misticæ delibutioñis liquore perfundat,
et spirituális benedictioñis ubertate fecundet.

Deinde Episcopus ordinans principalis lavat manus.

86. Episcopus ordinans principalis accipiens a diacono librum Evangeliorum, eum tradit unicuique Ordinato, dicens:

**Accipe Evangélium
et verbum Dei prædica
in omni patiéntia et doctrína.**

Postea diaconus resumit librum Evangeliorum eumque reponit in loco suo.

87. Episcopus ordinans principalis anulum in digitum anularem dexteræ manus uniuscuiusque Ordinati immittit, dicens:

**Accipe ánulum, fídei signáculum:
et sponsam Dei, sanctam Ecclésiam,
intemeráta fide ornátus,
illibáte custódi.**

88. Si quis Ordinatus pallio fruitur, Episcopus ordinans principalis illud a diacono accipit et super umeros Ordinati imponit, dicens:

**Accipe pállium de confessióne beáti Petri sumptum,
quod nómine Románi Pontíficis, Papæ N.,
tibi trádimus
in signum potestátis metropolitánæ,
ut eo utáris intra fines provínciæ ecclesiásticæ tuæ;
sit tibi sýmbolum unitátis,
cum Sede Apostólica communiónis téssera,
vínculum caritatis
et fortitúdinis incitaméntum.**

89. Deinde Episcopus ordinans principalis imponit unicuique Ordinato mitram, dicens:

**Accipe mitram,
et claréscat in te splendor sanctitátis,
ut, cum apparúerit princeps pastórum,
immarcescíbilem glóriæ corónam
percípere mereáris.**

90. Ac tandem tradit unicuique Ordinato baculum pastoralem, dicens:

Accipe báculum,
pastorális múnneris signum,
et atténde univérso gregi,
in quo te Spíritus Sanctus pósuit Epíscopum
régere Ecclésiam Dei.

91. Surgunt omnes. Si Ordinatio facta est ad cathedram, in Ecclesia propria alicuius Ordinati, Episcopus ordinans principalis eum invitat, ut sedeat in cathedra, ipse vero sedet ad dexteram eius. Alii Episcopi autem, extra Ecclesiam propriam ordinati, invitantur ab Episcopo ordinante principali, ut sedeant primi inter Episcopos con-celebrantes.

Si autem Ordinatio non facta est ad cathedram, Episcopus Ordinans principalis deducit Ordinatum in propria ecclesia ad cathedram et alios ad loca eis parata, Episcopis ordinantibus eos sequentibus.

92. Demum Ordinati, deposito baculo, surgunt et accipiunt ab Episcopo ordinante principali et ab omnibus Episcopis osculum.

93. Interea usque ad finem huius ritus cani potest antiphona:
Eúntes in mundum (allelúa),
docéte omnes gentes (allelúa).

cum Psalmo 95 (96) **Cantáte Dómino cáanticum novum**, cf. n. 57, vel aliis aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ, præsertim quando Psalmus 95 (96) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

94. Missa prosequitur more solito. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio universalis omittitur.

Liturgia eucharistica

95. In Prece eucharistica mentio Episcoporum modo ordinatorum fit secundum has formulas:

a) In Prece eucharistica I, dicitur Hanc igitur proprium:
*Hanc igitur oblationem servitutis nostrae,
 sed et cunctae familiæ tuæ,
 quam tibi offérimus étiam pro his fámulis tuis N.N.
 (pro me indígno fámulo tuo et pro his fámulis tuis N.N.),
 quos ad episcopátus Ordinem promovére dignátus es,
 quásumus, Dómine, ut placátus accípias,
 et propítius in eis (nobis) tua dona custódias,
 ut, quod divíno múnere consecúti sunt,
 divínis efféctibus exsequántur.*
 (Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) In intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba ... con-
 gregémur in unum dicitur:

*Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ,
 ut eam in caritaté perfícias
 una cum Papa nostro N. (et Epíscopo nostro N.),
 (et fámulis tuis N.N.)
 quos hódie pastóres Ecclésiæ providére voluísti,
 et univérso clero.*

Meménto étiam fratrum nostrórum ...

c) In intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba ... ad
 totius mundi pacem atque salútem dicitur:

*Ecclésiam tuam, peregrinántem in terra,
 in fide et caritaté firmáre dignérис
 cum fámulo tuo Papa nostro N. (et Epíscopo nostro N.),
 (et fámulis tuis N.N.)
 qui hódie pastóres Ecclésiæ ordináti sunt,*

cum episcopáli Ordine et univérso clero,
et omni pópulo acquisitiónis tuæ:
Votis huius familiæ ...

d) In intercessionibus Precis eucharisticæ IV, post verba ... ad laudem glóriæ tuæ dicitur:

Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre,
pro quibus tibi hanc oblatióinem offérimus:
in primis fámuli tui, Papæ nostri N.,
(Epíscopi nostri N.), (et istórum famulórum tuórum N.N.)
quos hódie ad servítium pópuli tui elígere dignátus es,
et Episcopórum Ordinis univérsi,
sed et totius cleri;
recordáre quoque offeréntium,
et circumstántium,
et cuncti pópuli tui,
et ómnium, qui te quærunt corde sincéro.
Meménto étiam illórum ...

96. Parentes et propinqui Ordinatorum Communionem sub utraque specie recipere possunt.

Ritus conclusionis

97. Expleta oratione post Communionem, canitur hymnus **Te Deum laudámus** vel aliis hymnus huic respondens, iuxta locorum consuetudines. Interim Ordinati accipiunt mitram et baculum ac ducuntur ab Episcopis ordinantibus per ecclesiam, et omnibus benedicunt.

98. Finito hymno, Ordinati stant ad altare cum mitra et baculo. Ante benedictionem autem unus ex illis, præsertim si quis est in Ecclesia propria, ad cathedram, potest populum breviter alloqui.

99. Postea Episcopus, qui liturgiæ eucharisticæ præfuit, benedictionem impertitur. Loco benedictionis consuetæ, dici potest benedictio sollemnior quæ sequitur. Diaconus dicere potest invitatorium:

Inclináte vos ad benedictiōnem.

vel aliis verbis expressum.

Deinde, si celebrans principalis est unus ex Ordinatis, benedictionem impertitur, prius supplicationem triplicem profert, manibus extensis:

Deus, qui populis tuis indulgendo cōsulis
et amore dominaris,
da Spíritum sapiéntiae
quibus tradidisti régimen disciplinæ,
ut de profectu sanctarum óvium
fiant gáudia æterna pastórum.

Omnes:
Amen.

Ordinatus:
Et qui diérum nostrorum númerum
temporūmque mensúras
maiestatis tuæ potestáte dispénsas,
propítius ad humilitatis nostræ respice servitútem
et pacis tuæ abundántiam
tempóribus nostris præténde perféctam.

Omnes:
Amen.

Ordinatus:
Collátis quoque in nobis per grátiam tuam
propitiare munéribus
et quos fecísti gradu episcopáli sublimes,
fac óperum perfectióne tibi placéntes
atque in eum afféctum
dírige cor plebis et præsulis,
ut nec pastóri obœdiéntia gregis
nec gregi desit umquam cura pastoris.

Omnes:
Amen.

Dein Ordinatus benedictionem profert:
Et vos omnes, qui hic simul adestis,
 benedicat omnipotens Deus,
Pater, ☧ et Filius, ☧ et Spíritus ☧ Sanctus.

Omnès:
Amen.

Si vero Episcopus ordinans principalis benedictionem impertitur,
 dicit, manibus super Ordinatos et populum extensis:
Benedicat vobis Dóminus et custódiat vos;
 sicut voluit super pópulum suum vos constitúere pontífices,
 ita in præsénti sǽculo felíces
 et ætérnæ felicitatis fáciat vos esse consórtes.

Omnès:
Amen.

Episcopus ordinans principalis:
Clerum ac pópulum,
 quem sua voluit opitulatióne congregári,
 sua dispensatióne et vestra administratióne
 per diutúrna témpora
 fáciat felíciter gubernári.

Omnès:
Amen.

Episcopus ordinans principalis:
Quátenus divínis mónitis paréntes,
 adversítibus caréntes,
 bonis ómnibus exuberántes,
 vestro ministério fide obsequéntes,
 et in præsénti sǽculo
 pacis tranquillitaté fruántur
 et vobíscum æternórum cívium consórtio
 potíri mereántur.

Omnès:
Amen.

Episcopus ordinans principalis:

Et vos omnes, qui hic simul adestis,
benedicat omnipotens Deus,
Pater, ☩ et Filius, ☩ et Spiritus ☩ Sanctus.

Omnes:

Amen.


100. Data benedictione et populo a diacono dimisso, fit processio
ad secretarium more consueto.

PONTIFICALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ÆCUMENICI
CONCILII VATICANI II RENOVATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI EDITUM
IOANNIS PAULI PP. II CURA RECOGNITUM

DE ORDINATIONE EPISCOPI, PRESBYTERORUM ET DIACONORUM

EDITIO TYPICA ALTERA



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS